



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**B. Haymonis, Episcopi Ante DCCC. Circiter Annos
Halberstadensis, Historiae Ecclesiasticae, Sive De Rerum
Christianarum Memoria, Libri X**

Haimo <Halberstadensis>

Helmestadi[i], 1671

Cap. IV. De haeresi Sabelliana.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10968

ad exemplum Decii sanctos viros, qui pro pace regni
ejus Deo supplicabant, persecutus est; cum quibus &
prosperitatem suam & pacem fugavit. Per idem tem-
pus quæstio oritur in Africæ partibus, de hæreticis
rebaptisandis vel non. Sed Cornelio cæterisque Oc-
cidentalibus Episcopis manet potius hæc sententia,
post abjectionem dogmatis, sola eos manus impositi-
one purgandos. *Cornelius* sedit annis circiter tribus.

C A P. III.

*De sententia Stephani Papæ, de non rebapti-
sands hæreticis.*

Igitur *Cornelio* per martyrium consummato, *Lucius*
succedit: quo solis mensibus octo functo Apostola-
tu, *Stephanus* levatur in antistitem: qui de non rebapti-
sands hæreticis similem *Cornelio* fert sententiam.

C A P. IV.

De hæresi Sabellianâ.

Eo tempore *Dionysius* Alexandriæ antistes famosus
habetur: qui multa & varia scribens, instructionum
nobis & doctrinæ copiosam materiam dereliquit. Ex-
tat hujus ad *Stephanum* Papam epistola, de multis ec-
clesiasticis differens caussis. Extant & ejus literæ,
quas contra *Sabellianam* hæresin persecutus est, quæ suo
tempore exorta est, plena blasphemii in Deum pa-
trem, & Dominum nostrum *Jesus Christum*, negans
vere esse eum filium patris, nec primogenitum omnis creaturæ,
I. 3 simul

80 HAYMONIS HISTORIÆ
simul & Spiritus Sancti auferens intellectum. Gallus Im-
perator regnat duobus annis, nec integris.

C A P. V.

Mors Galli Imperatoris.

Interea *Gallus Imperator moritur, Valeriano succedente*
cum filio Galieno. Stephanus diem obiit. Xystus Episco-
pus eligitur.

C A P. VI.

Persecutio Christianorum per Valerianum.

Valerianus maxime persequitur Christianos, cum ta-
men primum benignus fuerit, & humanus: post-
modum vero seductus, per quendam Magicæ artis ma-
gistrum & principem Magorum Ægyptiorum. De hujus
persecutione Dionysius scribit in diversis operibus suis;
in quibus narrat præclara gesta martyrum; & suarum
ipsius persecutionum meminit; & cujusdam *Asterii* inter
sanctos martyres clarissimi viri, & urbis Romæ Senato-
ris. Accidit hunc aliquando apud Cæsaream Philippi
famossissimo huic spectaculo adesse, quo ibi certa & so-
lemni die immolabatur victima ad radicem montis, &
arte quadam Dæmonis nusquam comparens, tolli in
coelum à gentibus credebatur. Tunc *Asterio* humanos
miserante errores, & pro his ad Deum valde supplican-
te, subiro victima conspectibus omnium redditur, nec
ultra in locis hic exstitit error. Hujus urbis civem fuisse,
ajunt, mulierem illam, quæ à Salvatore nostro à pro-
fluvio sanguinis sanata est, domusque ejus nunc in ea
osten-